


cycli, & linea mediij motus Solis ab auge ecētrici, à Planeta autē ab auge epicycli media. Descripsit igitur linea mediij motus Solis angulum AES , & Planeta in epicyclo angulum TBN , centrū uerò epicycli angulum AFB , qui æquū pollet duobus angulis EBF & BEF .



Tres igitur angulū TBN , NEB , EFB , & EBF qui est æqualis HBT , equabuntur angulo AES , dempto igitur communi angulo AEB , manebit angulus BES æqualis angulo HBN , quare linee ES & BN coniunguntur æquidistantes, quod erat demonstrandum.

Quilibet trium superiorū in linea mediij motus Solis quantumlibet protracta constitutus, in auge uera epicycli, aut eius opposito fore conuincetur. Unde constabit centrum epicycli & centrum corporis Planetæ sub uno cœli puncto reperiri.
Propositio XI.

HAec est cōuersa nonæ huius. Tunc autē Planeta erit in auge uera epicycli, quando secundum uerum cursum ad mediū Solis locum ipse perueniet. In opposito uerò auge quando eidem opponetur. Quod sic demōstrabo: Si enim Planeta non fuerit in auge, aut eius oppo-

sito, non erit centrum epicycli in linea mediij motus Solis, quantumlibet protracta, sed extra eam. Protrahatur igitur linea à centro Planetæ ad centrum epicycli, quæ quidem per præmissam æquidistabit lineæ mediij motus Solis. Sed & ipsa secat eam, quoniam hæc due linee concurrūt in cētro corporis Planetæ, duæ igitur linee equidistantes se secabūt, quod est impossibile. Destructo igitur hoc impossibili astruetur intentum. Veritas autem correlarij aperta est. Planeta enim nunquam est in auge epicycli aut eius opposito, nisi sit in linea à centro mundi per centrum epicycli producta. Cum igitur necessario sit in auge uera epicycli, aut eius opposito, ut probatum est, erit ipse quoque in huiusmodi lineæ à centro mundi per centrum epicycli producta, quæ quidem ad firmamentum usque continuata unum punctū offendet, sub quo & Planeta & centrum epicycli constituentur.

Verum locum epicycli alicuius trium superiorum percunctari. Propositio XII.

INstrumento ueridico Planetæ locum obserua, aut ad stellas fixas, quarum loca nota sunt referas, ut locum eius uerum agnoscas. Quæ si in opposito mediij loci Solis comperies, idem erit, quemadmodum conclusit præmissa, uerus epicycli & Planetæ locus, quare ipse epicycli locus inuentus erit. Idem quoque haberes, si instas quo Planeta ad mediū Solis locum applicat, deprehendere posses. Verum hæc coniunctio comprehendī nequit, quoniā radij Solares, ne Planeta uideatur impedimento sunt. In Solis igitur oppositionibus, quas præsci uocabant habitudines extremitatis noctis possibile

R bile